

taret. Et hom. 4. de Laudibus Pauli addit, Deum singulari quadam providentia suae dispositione grandia rerum divinarum mysteria viro illi caelesti referasse. Caelum est, ait, in quo iustitia sol regnat; pelagus est purissimus & altissimus, infinita sapientia abyssum continens. Et in 2. Timot. 3. hom. 4. scientiam & eloquentiam Pauli insidentis Spiritui & singularis gratiae prodigio adscribit. Antequam ad Christi fidem converteretur, ait, Graecarum literarum pene rudis, nihil eorum norat, quae apud externos in pretio habentur; solo Hebraico eloquio excultus erat; quo sermonis genere nihil contemptibilius apud Romanos; vir erat Ciliæ, qui vitam scenofactoria tolerabat; veste erat & habitu corporis temendus. Quae à S. Chryostomo hic asseruntur de ignoratis ab Apostolo Graecis literis ante datum fidei nomen, nobis planè, quemadmodum supra insinuavimus, nequaquam probantur.

Idem S. Doctor lib. 4. de Sacerdotio in eos invehitur, qui Paulum tanquam hominem humanarum literarum rudem contemnebant. Fatetur ille quidem, humanae eloquentiae exercitium viro defuisse, instructum tamen alioqui defendit vi & scientia, promovendis Fidei rebus opportunè. Si quis comparationem instituat inter eloquentiam Apostoli, & Ifoctatis, Demosthenis, Thucididis, & Platonis, fateatur oportet, quemadmodum ipse pariter de se testatur Apostolus, artificioso eloqui genere destitutum; praestare tamen scientia veritatis & Religionis. Quod tamen viro fuisse par est eloquentiae robur, cum maximè confundendos suscepit Judaeos, cum refutandos Gentiles in pleno Areopagitarum consessu verba fecit? Quinam, rogo, nisi ad eloquentiam viri, persuasi Lyfrenses Apostolo tanquam Mercurio litandum susceperant? Unde tanta erga ejus scripta admiratio capit, non Christianos modò, sed Judaeos, ipsosque Paganos? Nonne ex robusta illa, mascula & insita quadam viro eloquentia?

S. Hieronymus Epist. 61. ad Pammach. scribit, Vas illud electionis tanquam buccinam aliquam Evangelii clangentem habendum esse, tanquam mugientem Leonem Juda, tanquam eloquentiae Christiana flavium, qui admiratione potius quam verbis rapit in contemplationem admissimorum Christianae Fidei mysteriorum, omnibus retro saeculis ignotorum, & in divinae Sapientiae abyssum introducit. Quam quotiescumque lego, addit ille, videor mihi, non verba, sed audire tonitrua. Persuasum habet idem S. Doctor (q), Apostolum non nisi demissione quadam & modesta de se sententis humilitate scripsisse 2. Cor. 11. 6. Et si imperitus sermone, sed non scientia; namque, ait S. Doctor, illi utrumque non deerat, sed unum humiliter veniebat. Demonstrat alibi (r), excultissimum fuisse virum in regulis dialecticae, quemadmodum satis demonstrant, quae prosequitur, argumenta, & quas ex constitutis à se principiis consecutiones urgendis ad-versariis deducit.

q Hieron. ad Marcellam, de Ephod, &c.

r Hieron. ad Paulam, de alphabeto Psal. 118.

Ex Epistolis Pauli ac maximè ex Epistola ad Romanos, (s) plura detruncabant Marcionita. Ita e.g. è postrema hac Epistola duo integra novissima capita demebant (t). Hæreticorum verò alii, veluti Ebionita (u), universas sine exceptione rejiciebant, utpote erroribus suis planè è diametro contrarias. Enkratitæ & Marcionitis gemina Epistolæ ad Timotheum, & singularis ad Titum invisa fuerunt (x). Quidam Fabricii discipulus, quem Scripto suo exagitavit Augustinus (y), contendebat, in Epistolis Pauli plura admisceri, Spiritu Sancto auctore non scripta, quibus scribendis viri industria sive spiritus hominis valuisse; quod maximè de Epistola ad Philemonem sentiebat, & de aliis quibusdam, quæ Apostolus absque speciali Dei revelatione nosse poterat. Sed aliter Ecclesiae Catholicae visum, cui quatuordecim Epistolæ integrè profus, nulloque dempto, tanquam divinum Opus probantur. Tertulliani ætate fide earum Epistolarum Autographa, vel ex Autographis descripta Exemplaria servabantur. Authentica ipsa, litera Apostolorum sonantes vocem, & representantes faciem uniuscujusque [z]. Idem in lib. de Monogam. cap. 11. ad Greg. cum originale S. Apostoli provocat: Scimus planè non sic esse in Græco Authentico, quomodo in usum exiit.

Alibi etiam animadvertimus, modum Epistolæ ad Romanos imponere Apostolum facile voluisse, in exitu capitis 14. cui deinde opportunum tempus nactus, duo sequentia capita subtexit; quin & caput 16. variis constare post inscriptis, colligitur ex illa clausula bis recurrenti: Gratia Dei sit cum omnibus vobis; ac tandem similis clausula in exitu capitis 15. legitur: Deus pater sit cum omnibus vobis. Amen.

S. Pauli nomine scripta plurima vulgata sunt tanto viro indigna. Notæ sunt Epistolæ Senecæ ad Paulum, & vicissim; sicut & alia supposititia ejusdem Pauli ad Laodicenos. Meminit post Origenem de Princip. lib. 1. cap. 2. Eusebius histor. Eccle. lib. 2. cap. 25. Actuum quorundam S. Pauli, in quibus plura tum de itineribus cum de rebus ab eo gestis. Nicephorus lib. 2. cap. 25. longum ex eo Opere fragmentum recitavit certaminis, veri, an secus, quod Paulo in urbe Ephesi bestiis expolito subeundum fuit.

Discipuli Simonis Magi erroribus suis vulgo imperito approbandis Librum eà de re supposuerunt, inscriptum: Prædicatio S. Pauli (a); cujus præter nomen nihil ad posteros transmissum est. Non defuisse narrat Tertullianus contra Marcion. lib. 4. cap. 5. viros, qui Evangelium S. Lucæ Paulo Apostolo tribuerent, eà planè ratione adductos, quæ Discipulorum omnia ad Magistros referre solemus. Longius adhuc alii excurrentes (b) autumarunt, distante Apostolo exceptum Evangelium illud à S. Luca; persuasum interim habentes, semper opus illud insinuasse Apostolum, quoties phrasim illam usurparet (c): Secundum Evangelium meum; quod nos in Prolegomenis ad S. Lucam discussimus. Ejus tandem nomine inscripserunt alii Evangelium &

s Tertull. 1. 5. cont. Marcion. c. 13. Quæta autem foveas in ista maximè Epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de nostri Instrumenti integritate patebit. t Origen. ad finem c. 16. Ep. ad Romanos. u Irena. l. 1. c. 26. Euseb. l. 3. bist. Eccles. c. 27. x Tertullian. contra Marcion. 1. 5. c. 2. y Aug. lib. contr. Adversar. Leg. & Prophet. z Tertull. de Præscript. c. 36.

a Cyprian. edit. Oxon. tom. 3. de Baptismo pag. 30.

b Athanas. seu alius in Synop. Sacr. Script. Appendic. c Rom. 2. 16. & 16. 25. & 2. Timoth. 2. 8.

& Apocalypsim, à Concilio Romano sub Gelasio censurâ iusta.

Presbyter quidam Africæ supposuerat Pauli Apostoli nomine Itinerarium quoddam S. Pauli & Theclæ; sed fraudis suæ pariter confessione à S. Joanne Evangelista convictus, amotus fuit à Sacerdotio (d). Apostolum in hæc verba loquentem inducit S. Clemens Alexandrinus, qui facillè sermonem illum ex Opere aliquo apocrypho descripsit (e): Libros Græcorum sumite; agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significaret, & quæ futura sunt. Hystaspem sumentes legite, & invenietis Dei Filium multò clarius, & apertius scriptum, & quemadmodum adversus Christum multi Reges instruent aciem, odio habentes illum, & istos, qui gestant tolerantiam, & adventum ejus, illiusque tolerantiam, & adventum. Deinde uno verbo nos interrogat: totus autem mundus, & quæ sunt in mundo, eujus sunt? nonne Dei? Sed non inviti credimus, verba illa ejusdem impostoris fraude supposita fuisse, qui nobis fictas Sybillas & non genuinum Hystaspem fabricavit.

Suspicati sunt nonnulli, Apostolum inter

d Tertull. de Baptismo c. 17. Hieron. de viris Illustr. c. 7. e Clemens Alexan. l. 6. Strom. pag. 636.

duas Epistolas ad Theffalonicenses mediam aliam scripsisse ad Fideles pariter ejus Urbis; quod illis in mentem venit ex verbis Apostoli 2. Theffalon. 2. 2. Non cito moveamini, neque per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Sed eo Apostoli testimonio probaretur tantum, hæc Epistolam, si fortè aliqua missa est, Pauli Apostoli ementitum nomen præfeturisse. Tertiam etiam ad Corinthios Epistolam inoixerunt alii ex illis 1. Cor. 5. 9. verbis: Scripsi vobis in Epistola ne commisceamini fornicariis. Sed præstat postrema hæc ad priora Apostoli verba 1. Cor. 3. 16. 16. referre: Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: & alia 1. Cor. 5. 6. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Secundam denique Epistolam ad Ephesios quidam suspicati sunt ex illo ad Ephes. 3. 2. Quoniam secundam revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi, in brevi. Sed verba illa ad superius caput 2. ejusdem Epistolæ referre juvat.

DISSERTATIO IN PRÆDESTINATIONEM ET REPROBATIONEM HOMINUM.

Dogma est Christianæ Religionis sanctum assertumque, homines ab ipsa eternitate irrevocabili decreto sive gloriæ, sive reprobationi eternique supplicis addictos fuisse. Omnium etiam Catholicorum Theologorum consensu certum est & exploratum, prædestinationem ad gratiam, & vocationem ad fidem, Dei munificè liberalitate donari. Quare aliud quæstionis de prædestinatione & reprobatione hominum agitatae punctum est; quæstionis nempe, quæ tot jam saeculis viros doctos in partes distaxit, ac turbas in Ecclesia concivit non infrequentes. Totus igitur controversiæ cardo in eo versatur, ut ratio ipsa prædestinationis, & quæ fuerint Deo prædestinandi reprobandique homines, causæ assignentur. Qui etiam fieri possit, ut variæ illæ Scripturæ phrasæ concilientur, quarum aliqua hominis salutem libero ejus arbitrio integram committunt; alia verò Deo totam reservari ferunt? Quæ sit pariter ratio componendi gratiam, atque infallibilem certamque divinorum decretorum vim cum ipsa hominis libertate? En totus quæstionis cardo, quem plenius versandum in hac nostra Dissertatione neque suscipimus, neque, si maximè suscipere statueremus, ut tantam rem pro dignitate unicâ Dissertatione tractaremus, nunquam Dissert. Calmet Tom. II.

quam contingeret. Quare id potius agendum est nobis in presentia, ut historicam quandam narrationem texamus variè & multiplici illius rationis, qua controversia ista in Ecclesia ad nostram usque ætatem tractata est; designato tandem systemate, quod nos commodissimum præ omnibus tollendis difficultatibus judicamus.

Veteres Judæi animas antea existere quam in corpora immitterentur persuasi, ita de prædestinatione & reprobatione reputasse credendi sunt, quasi Deus insita in animabus ad bona vel mala ab ipsis in corpore præstanda indole perspecta pro futuris illorum meritis premia vel supplicia disponderet. In Ecclesia Christiana Systema illud Origeni ejusque sectatoribus arrisit. Post Origenem, animadvertentes Patres quantis abusionibus per Manichæos & Marcionitas exponeretur principium illud de recta pravaque animarum indole, antequam in corpora illaberentur; illud sibi asserendum susceperunt, Deum supplicia vel præmia decernere, non pro antea meritis, quod Origeni persuasum, sed future vitæ operibus inspectis, quæ bono pravoque liberi arbitrii divinâ gratiâ adjuti usu præstarentur. Ita de prædestinatione S. Chryostomus & Græcorum plerique.

Plus aliquid libertati indulgendum censuit Pelagius, defendens, prædestinare Deum ac reprobare homines, prænoscentem rectum ac

pravumque usum liberi arbitrii; quod ille ea confidentia asserat, ut bono supernaturali praestando naturales hominis sufficere vires, neque auxilio indigere supernaturali contenderet. Defendit S. Augustinus, praedestinationis privilegium beneficium esse prorsus ex parte Dei largientis gratuitum; cum enim una damnationis sententia primus Pater & caeteri deinde ejus filii obvolvantur, atque in unam corruptionis massam mortales omnes confundentur, Deus ab ipsa statuit aeternitate certum quemdam selectumque numerum praedestinatorum eligere, quos, nullis propriis ipsorum meritis spectatis, clementiae suae & misericordiae exemplum statueret; relictis interim aliis, latenti quidem, sed nunquam injusta dispositione, quippe quos deserendi in causa habebat sine originali illorum crimen, sive peculiaris singulorum, quibus originalis sceleris meritum auxerant. In hanc sententiam concesserunt Patres & Theologi fere omnes Ecclesiae Latinae, usque ad exortas novissimis saeculis haereses Lutheri & Calvinii.

Haeretici illi, Augustiniano systemate abusi, docuerunt, liberum hominis arbitrium post Adami lapsum penitus intercidisse. Quibus revincendis, Theologi quidam nostrates aliud sibi defendendum systema opportunius judicantes, decreta quaedam invexerunt certis quibusdam conditionibus adstricta, & futurorum meritorum praevisionem aliquam, in quam tota ratio praedestinationis & reprobationis hominum refunderetur.

Ita factum est, ut quaestionis hujus status saepius in Ecclesia Christianorumque Scholis mutaretur; sed variata licet tanti mysterii exponendi ratione, inconcussa, semper dogmatis de praedestinatione veritas mansit; nihil derogatum certitudini divinatorum decretorum, & juribus, qua misericordiae & justitiae Dei, qua liberatae hominum & gratiae Servatoris. His enim si forte ab Haereticis aliquando adversum aliquid intentatum est, actum à Doctoribus Catholicis impugnati, ab Ecclesia censuram inusti, temeritatis suae poenas luerunt. Sed haec fusius demonstranda.

Persuasum habent Hebraei creatum à Deo hominem rectum, in ipso innocentiae & justitiae culmine (a); mortem non à Deo factam (b), sed invidia & nequitià Damonis in mundum injectam [c];posito à Deo homines in manu consilii sui, statuto ante illos igne & aqua, pravo rectoque, relicta illis libera eligendi facultate (d). Praemia pariter & supplicia aeterna manere pro vite merito atque liberi arbitrii exercitio pravo rectoque, singulis rependenda. Philo (e), Josephus [f], & Rabbini (g) docent, animas prius extitisse quam in corpora illaberentur; quin & ejusdem esse naturae varisque tantum nominibus discretos Angelos, Demones & animas Philo (h) autumat. Quae autem ratione boni sunt pravaeque Angeli; ita pariter opinatur ille pravarum esse probarumque animarum ge-

nera duo. Addit, animas, non secus ad Angelos, in desecatissima atque celsissima aeris parte sedem habere, unde animae illae in corpora dilabentes, peculiarem singulari indolem bonam pravamque secum referunt. Frui tandem illas dicit (i) plenam in bonum malumque libertate, qua sibi vel aeterna praemia vel supplicia promereantur.

Phariseorum hac de re dogma, quod & ejusdem Historici Pharisei esse constat, non semel exponit Josephus, prodens (k), ita fatum ab illis admitti, ut nihil velint derogatum tum libero hominis arbitrio, cum summam Dei potestati. Animae, quae ante illapsam in corpora, bona exercebant, corporeis resolutae vinculis ad pristinas remeant sedes, data illis pariter facultate in corpora pro arbitrio regrediendi; fontes supplicia manent aeterna. Ac de Essenii lib. 2. de bello cap. 12. tradit, in ea viros illos fuisse sententia, ut animas crederent immortales, easque insita quaedam à natura vi in corpora velut in carceres propelli; post obitum, justos in locis aemionis & deliciis plenis trans Oceanum otitari; impios vero poenas luere aeternas in horrentibus quibusdam tormentorum locis. Auctor Sapientiae, quem Librum Veteres nonnulli Philoni tribuerunt, ita loquentem Salomonem inducit cap. 8. 20. Puer eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam; & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoliquinatum. Scriptoris verba in partes defendantium animarum praexistentiam trahi facile potuissent; re tamen nihil aliud insinuavit, quam animas alias aliis praestare; esse pariter corpora melioris alia pra aliis habitudinis.

Erant pariter, quibus in ea sententia, fuisse Apostoli viderentur (l); egi enim nati occasione; quae fuerunt à Jesu, cujus merito infortunium illud homini accidisset, parentum ne, an viri illius crimine? Quod in eam sententiam dictum videri potuisset, nimirum hominem illum merendi & demerendi, antequam in mundum veniret, facultate instructum fuisse. Obtinet hodie usque ea opinio apud Hebraeos, quibus & animarum praexistentia & metempsychoseos genus quoddam probatur juxta ac Menasse Ben-Israel asseruit. Exponunt in eam rem illud Jeremias 1. 5. Priusquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulva, sanctificavi te. Ed etenim sententiam illam pertrahunt, quasi anima Jeremias jam inde à mundi exordio extitisset, & ex tunc Deus ad munus propheticum statim tempore implendum illam destinasset. Favet huic interpretationi Origenes, ejusque sectatores, si S. Hieronymo in Jerem. 1. fides habeatur. Hujus sententiae fons in Pythagoricis statuendus est, & facile in Aegyptiis, apud quos Pythagoras 22. annos egit.

His semel in animum inductis, mysterium praedestinationis & reprobationis statim omne referatur, illud obtudendo nimirum, Deum salutem sive reprobationem hominum decreto suo edicere pro merito indolis bonae pravaeque, quam in anima,

i Philo lib. Quod Deus sit immutabilis p. 308.

k Joseph. Antiquit. l. 12. c. 2. de Phariseis. Idem l. 2. de bello c. 12. p. 788. de Phariseis. Joseph. lib. 2. de bello Jud. c. 10. pag. 852.

l Joan. 9. 2.

antequam in corpus illatur, explorat; nec modicè ad eam rem conferre rectum, vel secus, liberi arbitrii usum, quem ab illis praestandum intelligit. Ita Origenes autumat, qui ea tenebatur sententia, quae Hebraeorum plerique, de praexistentia animarum. Nec facile ex alio fonte, quam ex Judaeis, Auctor iste systema suum deduxisse credendus est.

Arbitratus est Scriptor ille (m), animas, quae plura in aere saecula egerant, antequam in corpora descenderent, ibi pariter meritum praedestinationis reprobationisque pravo redove liberi arbitrii usu sibi parasse. Staturebat, hominem plenam esse in bonum malumque libertate; quae illi accidebant in hac vita prospera, vel adversa, haec sibi praemium ac supplicium bonorum malorumque, quae in altera perpetraisset vitâ, promeruisse (n). Quin etenim in eo rerum statu animae expeditam haberent merendi demerendique libertatem, ne dubitaret quidem (o). Pro quibus omnibus non aliter poterit responderi, nisi priores quaedam eis fuisse causa dicantur, quibus antequam in corpore nascerentur anima, aliquid contraxerint culpa in sensu vel motibus suis, pro quibus hoc meritum pati à Divina Providentia iudicata sunt. Liberi namque arbitrii semper est anima, etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus est. Alibi verò, post prolixum quoddam fragmentum Libri cujusdam Apocryphi, quo tradebatur viros insignes V. T. ab Angelis animatos fuisse, sive ab animabus naturae caeteris omnibus praestantioris, ut e. g. in Jacob vicem animae supplevit Angelus Israel, inter primores Aulæ caelestis, addit (p): Animadvertendum est, an semel hisce constitutis solutio pateat notissima illius quaestiones, cur Deus Jacob Esau praetulerit, quoniam boni aliquid malive neuter adhuc egisset: Non recurrentibus nobis ad Opera hanc vitam praecedentia, quomodo verum erit in justitiam non esse apud Deum, si major serviat minori, odio habitus antequam digna vel servitute vel odio fecerit?

S. Hieronymus in Epistolam ad Ephesios (q) scribens, Origenis sententiam de praedestinatione exponit, asserens ex eius mente praedestinari homines à Deo, Non ex praedestinato scientia sua, sed ex merito electorum. Addit, ex Origenis persuasione, caelum terramque invisibilibus incolis creaturam, quas latenti divino consilio praecipites egerit Deus in hac lacrymarum vallibus, & ante memorandum hunc creaturarum lapsum, S. Paulum caeterosque illi similes, quod ab omni labe puros videret, Dominum feceruisse. Hanc sententiam refutat S. Hieronymus, ipsius Pauli verbis demonstrans, non ideo Deum homines praedestinasse, quod sancti fuerint, sed ut essent. Pamphilus Martyr Apolog. pro Origenis sententiam minus aliquibus probari, excusatione tamen dignum illum, censeret, demonstrans, nihil usquam certi ab illo de anima definitum; sed propositis tantum coniecturis suis, Ecclesiae iudicio

causam integram reliquisse. Tuetur insuper Pamphilus Origenis partes, adversa opinionis incommoda omnia exaggerans. Fateamur quidem oportet, Origenem aliquando ambiguitatem suam ea de re prodidisse (r); sed animarum praexistentiam tam frequenter in suis Operibus inculcavit, ut eadem sentire se non obscure demonstreret.

Ad praedestinationem verò quod attinet, nullus dubito, quin ea teneretur opinione, Deum pro merito ejus, quam in anima explorat, indolis, praemia illi vel supplicia decernere (s): Ut autem scias, non praescientia Dei uniuicuique salutis causam ponit, sed in proposito & actibus suis, vide Paulum verentem, ne cum aliis praeviderit, ipse reprobatus invenitur. Et in Epi. ad Rom. 9. pag. 378. col. 2. de Jacob & Esau agens scribit (t): Jacob meritis suis accepto retulisse, ut à Deo in vas honoris formaretur, ipsum enim se disposuisse atque ab omni elutum macula purgasse; quod autem inertiolem operam in hac re Esau posuisset, idem in vas ignominiae à Deo transformatum. Addit insuper (u), Paulum ipsum sibi in causa fuisse, cur ab eo, cui omnia antea explorata sunt quam contigerint, eligeretur; Deum enim prospexisse, quae ipse in agro Ecclesiae colendo dura perpetraturus esset. Uno verbo, quos praescivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis ejus praedestinavit & gloria. Ex quibus omnibus rellâ consecratione deduxit S. Hieronymus in Ep. ad Ctesiphontem, ex Origenis doctrina profectisse Pelagium; cujus Haeretici dogma Origenis ramusculus esset.

S. Chrysostomus caeterique coaevi Patres, ut ab Origenis errore longius recederent, qui aeternam atque temporalem hominis felicitatem, praedestinationem & reprobationem de meritis alterius vitae repebat; volentes insuper adversarios se praebere erroribus Marcionis & Manichaeorum, qui, duobus admissis principiis, bono pravoque, totam liberi in homine arbitrii oeconomiam subvertent; prava enim naturam suam anima neque in bonum libera est, neque, si crimen aliquod admiserit, quod necessitate & natura peccaverit, jure necessitate est; Patres, inquam, illi, tria sibi defendenda susceperunt. 1. Hominem auxilio gratiae preventum, verè expeditam in rectum pravumque, meritum & demeritum, habere facultatem. 2. Nullam nobis ex praestitito reprobationis praedestinationisque decreto imponi necessitatem. 3. Deum nulla sibi praecedentia merita, sed futura tantum proposuisse, ut poenas vel praemia mortalibus sanciret.

Hae nobis demonstranda manent ex ipso S. Chrysostomo, quem velut oraculum Graece Ecclesiae ad nostram usque aetatem haberi ignoraverit nemo. Scribens S. Doctor in illa verba Epistolae ad Romanos (x): Cum nondum nati fuissent, (Jacob & Esau) aut aliquid boni egissent, aut mali, dictum est ei (Rebecca) quia major serviet minori. Quae de causa hic quidem annotari,

r Vide e. g. l. 2. Peri archon. pag. 420. & in Jo. tom. 7. pag. 187.

s Origen. in Epist. ad Rom.

t Ut enim Jacob esset vas ad honorem sanctificatum. . . anima ejus emundaverat semetipsam. Et videns Deus puritatem ejus, potestatem enim habens ex eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam; Jacob quidem, qui, ut diximus, emundavit semetipsum. fecit vas ad honorem; Esau vero, cujus animam non ita puram nec ita simplicem vidit, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam. u Idem in Ep. ad Rom. 1. l. 1. Paulus electionis suae causas in semetipso dedit ei, qui scit omnia, antequam fiat. Prævidit enim Deus, quod abundantius caeteris laboraturus esset in Evangelio. x Pag. 234.

m Vide Hieron. in Ephes. 4. 2. p. 395. nov. edit.

n Origen. in Math. tract. 55. p. 123. o Origen. l. 2. Peri archon, circa fin.

p Orig. in Jo. 20. 5. edit. Huet. q Hieron. in Ephes. 1. 4. & 4. 2. pag. 325. & 327. nov. edit. & pag. 395. Vide eundem Epist. 8. & 51. & Epist. ad Jo. Hierosolymit.